

Konrad Grebel¹⁾ an Vadian.*Paris. 1518. October 26.*

Überschwengliche Äusserungen seiner Verehrung für Vadian. Bericht über die Gelehrten in Paris. Bedauern, dass das Eheproject mit Martha sich nicht erfüllt habe. Versprechen, den Ratschlägen Vadians zu folgen. Schilderung seines Zusammenlebens mit Glareanus. Grüsse an Bekannte.

Salve, mi Vadiane, quem, cum adeo doctum esse virum sciverim, ut nemini inter Helveticos cedas, doctissimum, cum me tam fideliter institueris, fidelissimum præceptorem, cum non sis minus integer, integerrimum debebam appellare^{a)}; sed quum tam fraterne ad discessurum scripseris, non potui te alio exordio compellare. Atque utinam (Muis non iratis diisque poeticis^{b)} omnibus, deo quoque optimo maximo aspirantibus) eo doctrinarum provehar, ut tibi conphilosophus (quod te percupere ais) esse queam, hoc est fraterne tecum vivere teque fratrem appellare liceat! Verum tamen (ad omnes epistolę tuę partes quando non citius potuerim) respondebo: non spero me meosque omnes nepotes, quod tu non dubitas, doctrina unquam equaturos. Cum hoc dicis, amore illo tuo constantissimo permotus, præceptorem agis egregie, qui cupias, discipulum tuum te longo intervallo præcedere, quem mille millies parasangis post te cum reliquisti, tum relinques. Quod ad eloquentiam et illam promptę narrationis copiam, tua namque^{c)} hæc verba repeto, pertineat, me sepe a te monitum esse profiteris. Ego certe, quid monueris, amatissime præceptor, adeo non memoria teneo, ut te etiam non erubescam obsecrare, quo dicta non semel adhuc semel repetas et ad me prolixa epistola scribas, quid deploratissimi ingenii homuncioni, ut promptę narrationis copiam, ut eloquentiam aliunde utcunque converram, faciendum siet. Malles, præceptor unice charissimus, primum olim me in patria fore, quam ut a primo secundus et aliquo minor haberi debeam. Iterum atque iterum me amas, hoc est tuum et monosyllabum tibi servulum esse compellis. Vellem itaque, ut ego quoque inter claros olim viros haberi mererer, non ut famam aliquamdiu de me vel diecula duraturam excitarem, sed quo cum Vadiano simplicius, nec simplicius, sed coniunctius, qui vix coniunctius queam, aliquantulum similis, non similis, nisi eiusdem Musę similitudine effectus, vivere possim. Sed quid? quod illustrium artium rationem, quarum gravitate omnis eloquentia nitatur, habendam esse ais, quę sint illustres

artes, si me amas, amas autem quam qui maxime, iterum longa Iliade prosequare.

Glareanum, virum optimum, nomine tuo salutavi, et quicquid posses, de te pollicitus sum. Rem, quam tibi in itinere revelavi, adeo celandam duxisti, etsi honestissimam, ut versiculos, quibus eam paulo apertius literis meis crediderim, protinus excideris et discerpseris. Harpocratem nempe et Angeronam quandam et taciturnum Pythagoręum, hoc est iterum præceptorem, vix dixerim, quam fidum ages. Ut ad te frequenter scribam, imperas; scribam ego ad te sepius quam iusseris frequentissime. Budeo et Glareano me commendasti, non quod iudicares necesse esse, sed magis, ut amorem in me tuum constantissimum esse cognoscerem. Atqui hic parvus, quin potius nullus labor tibi erit, ut amorem Vadiani in me constantissimum esse persuadeas; cognovi certe eum ipsum tuum in me amorem; sed non semel cognovi constantissimo constantiorem et ardente ardentiorem esse; ne meum michi somnium, ut aiunt, quęso narres. Quod corporis etiam rationem me habere iubes, ne graviter pericliter, si levi febricula corripere, iam medicum refers; atque utinam, quibus tu consulis non proletarius medicus, si sint egroti, reconvalescant, si vero sani, ne fiant egroti! — Sororis ducendę conditionem relictam esse gaudebas. Gavisus et ego fuissem; sed serio etiam triumphassem, si tantus vir sororium referre voluisses; potuisses certe, si voluisses. Pari laqueo, sed non amoris, tuum hoc est verbum, detineris; detinearis, oro, ac feliciter^{d)}, at non diu: ut scilicet bellam, divitem, honestam, frugi sponsam ducas, ut nuptias celebres et lætos hymenæos^{e)}, ut ex coniuge, quęcunque coniunx futura est, liberos tollas te dignos, qui te olim si non omnibus, aliquot tamen modis expriment, referant aut denique absolvant numeris. Quod Grebeliorum futurus sis, etiam non Grebelii gener sororiusve futurus, in hoc te animumque tuum recreas, et vis non esse non nostri nominis Grebeliani, quasi magni nominis, amicus. Amicum ages agisque, cum diris fati vetantibus generum aut sororium non liceat. Animam tibi, cui iam dudum debui omnia, debeo, quum promiseris te supellectilem^{f)} meam librariam Viennę^{g)} relictam, cum tua ad Helveticos usque missuram, sicque ingentibus beneficiis me onerando fraternam, ut ais, in me voluntatem ostendis et si mavis paternam. Post hæc, mellitissime præceptor, an me non belle hortatus es, an me non iterum fidelissime doces? cum me virtuti et bonis stu-

diis, donec a patria absim, adeo incumbere iubes, ut si, cum dulces parentes revisam, ne sim et bonis moribus et literis vacuus, ne scilicet Homericum illud: Fœdum est et mansisse diu vacuumque redisse²⁾, in me iure ab aliquo torqueri possit. Obsequar per Iovem lapidetur nec unquam in me diligentia deerit, modo ingenium et Musę, quarum apertas esse ianuas adagio dicunt, supplici et misello homuncioni non defutura sint. Adeo non male et paterne consulis, ut nesciam, an pater tam bene consulem in rebus meis egerit. — Primum Cracoviam, deinde vero illam tuam Viennam, Parrhisiis, si doctos viros spectes, multo illustriorem, petes; dii, rogo, tuos interim incolumes et sponsam incolumem servent, te quoque illesum et immutatum patrię tuę non invideant atque feliciter^{d)} reddant. Cracoviam et Viennam, Pannonię hanc, illam Sarmatię civitatem sive metropolim, illam vises propter fratres et affines, hanc propter doctos viros et optimos tuos libros vel bibliothecam revises; interim nusquam nunquamve a te Conradus tuus aberit; hoc quoque dum polliceris et amicos meos Viennę^{e)} salutaturum, nihil non polliceris et nimirum nihil non facies. Sororibus munuscula missurum spondebas; misisti nimirum et donasti, ut neminem non mei nominis multis beneficiis oneres et honores, atque adeo te geras, ut plane ignorem, quem post deum optimum maximum, post pientissimos parentes te tuisque magis amare, observare denique debeam; neminem certe. — Pœticę tuę non frigide laudandę lacerum exemplar, cum Tiguri etiamnum aureas illas tuas literas expectarem, ea conditione misisti, ut cum perlegissem seu perstrinxissem potius, qui abiturus eram citius, aut Miconio, viro plane docto integroque Lucernęque suę claro lumini, dono darem aut ipse retinerem. Retinui, atque ideo retinui ex sententia etiam Miconii, ut Glareano et Budeo, Lutetiam^{f)} nactus, doctrinę tuę magnum abunde cum illustrato Pomponio Mela testimonium obiicerem. — Epistolę tuę, quam non cum Croesi divitiis commutare, responsum est. Conditionis meę rationem audies. Glareano commoror eiusque sum et coępulo et auditor, et in senatu, quem more Romano instituit, Scipio secundus sum, et Leopoldus Grebelius tertius^{g)} Cato, hoc est, censor creatus est. Dictu mirum est, quam hilaribus vultu, animo, gestibus venientem exceperit quamque te quoque amet, observet, quem prius odiebat, despiciebat, quamque pro te contendat, palmam doctrinę tibi dando. Hęc certe pugna pugnatur a Leopoldo, ut credam aere mutato animum

Lum

quoque mutatum esse. Quid nomine meo te facere velim, quod satis garritum sit, accipe. Clivano meo ad Viennam reversus conditionem meam retegas dicasque satis honestam esse, et ipse, quas ad eum dedi literas, ostendet; deinde, si quid pecunię a quęstore Cęsarei ærarii mihi datum est, Clivano communices, ut ipse in suum usum, — accommodabo certe, si velit, — vertat; et si ad me olim venerit forsitan, non repositam. Et si ad me scripturus es, hanc epistolam meam Clivano exscribendam trade; nolim enim non habere, quod ad tuam epistolam rescripserim. Hoc enim archetypon ad te missum est. Glareani Helvetię, Budei autem Gallię decoris, qui de te optime sentiunt, literas accipe. Dialogum de Iulio S. pontifice maximo ab Erasmo, ut putant, conscriptum — nihil novi præter quam hoc Lutetię^{h)} erat — misi Clivano, ut literę et dialogus, quem dono, reddantur.

Si Georgius Hedinger ad te venerit, non pigeat medicas applicuisse manus; tuam opem curari volens expetit. Scribe ad me, quoties poteris, et quid monueris, certiorum, sed non brevi epistola, redde. Parentes tuos nomine meo, cives, qui me ut umbram corpus, hoc est te, sequentem honorarunt, præsertim presbyteros, sorores tuas, fratres, Andream Egkium, fratrem meum, salutato.

Lutetię^{k)}, ex studorio meo, septimo Kalendas Novembris, anno a partu virgineo MDXVIII.

*Conradus Grebelius Tigurinus Helvetius,
a pedibus Vadiani.*

Viro undecunque humano, docto et integro Iochimo Vadiano,
poetę a Cęsare coronato, oratori et medico insigni, præceptoris suo
exosculatissimo et amico incomparabili.

An I . . . Watt.

Äussere Adresse:

Viro doctissimo et integerrimo, medico et poetę laureato Iochimo
Vadiano, præceptoris meo longe charissimo.

a) „apellare“. — b) Das „e“ geschwänzt. — c) „nanque“. — d) „feliciter“. — e) „hymeneos“. — f) „supplectilem“. — g) „Viennę“. — h) „Luteciam“. — i) „tercius“. — k) „Lutecie“ (das zweite „e“ geschwänzt).

l) Vrgl. I, Register. — 2) Hom. II, II 298.

1518 Okt. 27 Van P. Falk VII, 10 Nr. 6.